



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Schyrense monasterium, vulgò Scheyrn, in Germania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

*Schyrense monasterium, vulgò Scheyrn, in  
Germania.*

1077.

**S**chyrum siue Schyrense monasterium, su-  
pra Pfaffenhouen situm Comitum initio  
Schyrensum magnificum castrum fuisse legi-  
tur, quod construxit Arnolphus Comes Chi-  
rensis, filius Arnoldi malii. In monasterium  
verò conuersum est hoc modo: Inchoata erat  
ab Ottone & Alberto, nobilibus viris, solitu-  
dinemque amantibus hominibus, in dicto-  
rum Comitum ac Principum Schyrensum  
ditione, montanis videlicet Bauariæ, iuxta  
altissimum eius prouinciæ iugum, quod acco-  
læ den Vwendelstein vocant, Eremitica quæ-  
dam cella & Ecclesiola, annum Christi circiter  
1077. consentientibus Ottone Schyrensi  
Comite, eiusque vxore Haziga, Aragonum  
Regis filia, & utriusque filijs, Ecchardo, Bern-  
hardo, & Ottone, Principibus Schyréribus. Hæc  
cella, iussu Ellenhardi, Frisingensis Episcopi,  
ea tempestate ægrotantis ac grauiter de-  
cubentis, à Pontifice quodam Polensi con-  
secrata est. Decedente verò paulò post ex hac  
vita Principe Ottone, anno nimirum Christi  
1079. Haziga, vidua Ottonis cum filiorum  
suorum consensu, ex humili ac Eremitarum  
domo celebre monasterium construere, ac  
dotare decreuit.

Transtulit verò monasticam sedem in paulò  
amoeniorem locum, qui hodie adhuc à præ-  
ter-

terfluente pisculentissimo fluuiolo *Vischbachav*y dici solet, & quatuordecim miliaribus à Schyro, septem à Monachio, duobus à S. Quirini Tigurino monasterio abest, ad pedem montis *Khnezagel* cognominati in Aibligensi districtu situm: vbi adhuc hactempestate duo sunt templa, quorum aliud S. Martino, alterum B. Virgini dicatum est, & Præpositura monasterio Schyrensi incorporata. Hunc locum Haziga fundatrix & pagis & vineis plurimis ditauit: in eoque coepit monastica D. Benedicti congregatio. In hoc fundatrix mortua & humata; at postea Schyrum translata est. Sed nec iste locus diu satis placuit: post sex enim annos à prima translatione iterum mutata est sedes: & secundò translatum monasterium è montanis in paulo liberiorem agrum ad Glauum fluuium, qui non procul inde in Ambram cadit, *Vsenhofium*, antiquitus *Glanek* à fluuiio dictum, tribus milliaribus à Schyrensi monasterio situm. Ilic in monte S. Petri (vbi hodie adhuc templum visitur ab Ottone Hazigæ fundatricis filio & à Bertholdo Comite de Burgheim ante duas aras ibidem sepultis, constructum) tertio inchoatum est monasterium, sub primo adhuc Abbe Erchenboldo. Sed post sedecim annos propter aquarum in sublimi monte S. Petri defectum, locus iste etiam parum commodus monachis visus est; quartoque translatum est cœnobium nuper inceptum, in ipsam Principum Schyrensum, vñanimi eorundem

omnium consensu auitam arcem ac sedē, amplam illam quidem, sed admodum ruinosam ac ferē desertam. Hæc Scyrensis monasterij initia sunt & exordia certissima. In media Ecclesia sublimis est tumulus Ottōnis fundatoris, ac Hazigae fundatricis.

In ingressu domus capitularis est aliud de terra eleuatus tumulus, sub quo 120. vtriusq; sexus Comitum ac Principum Schyrensum corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur.

## CAPVT LXVII.

### AQVICINCTVM

*Ad Scarpum fl. secundo milliari à Duaco.*

An. 1079.

*De quo vi-  
de Adolanū  
in Natal,*

**A**no millesimo septuagesimo nono, incoep̄tū est coenobium sancti Saluatoris in insula, quæ dicitur Aquicinctus, à viris illustribus Sichero videlicet atq; Valtero. Qui Sicherus habebat vxorem nomine Mathildem, nobilem quidem natalibus, sed nobiliorem moribus. Quæ coniugem suum crebriùs monendo, ad hoc opus aggredendum incitauit, ideò maximè, quod sanctum quandam Gordanium inibi quondam eremiticam vitam duxisse ferebatur. Vnde factum est, ut præfati viri hinc crebro colloquentes se mutuò hortarentur, & deliberantes An-

sellum

